



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vitæ D. N. Iesv Christi Monotessaron Evangelicum

Heser, Georg

Monachii, 1657

78. De ejectis alterâ vice venditoribus, & prædicatione Christi in templo.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56533)

Alia predictio Hierosolymæ evertendæ.

IV. Ierusalem, Ierusalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti! Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Dico enim vobis, non me videbitis amodò, donec dicatis: Benedictus, qui venit in nomine Domini. *Matth. 23. & 37. 38. 39.*

V. Et egressus Iesus de templo, ibat. Et accesserunt discipuli ejus, ut ostenderent ei ædificationes templi. *Matth. 24. & 1.* At illi unus ex discipulis suis: Magister, aspice quales lapides, & quales structuræ. *Marc. 13. & 1.*

VI. Ipse autem respondens dixit illis: Videtis hæc omnia? Amen dico vobis, non relinquetur hîc lapis super lapidem, qui non destruatur. *Matth. 24. & 2. Marc. 13. & 2.*

MEDITATIO LXXVIII

De ejectis alterâ vice venditoribus, & prædicatione Christi in templo.

I. Iesus ingressus templum (Dei, *Matth. 24. & 12.*) cœpit eicere vendentes in illo, & ementes, *Luc. 19. & 45.* & mensas nummularum.

muliariorum, & cathedras vendentium columbas evertit, *Matth. 21. v. 12.* & non sinebat, ut quisquam transferret vas per templum: & docebat, *Marc. 11. v. 16. & 17.* dicens illis: Scriptum est, quia domus mea domus orationis est. Vos autem fecistis illam speluncam latronum. *Luc. 19. vers. 46. Matth. 21. v. 13.*

II. Et accesserunt ad eum cæci, & claudii in templo: & sanavit eos. *Matth. 21. v. 14.* Videntes autem principes sacerdotum & Scribæ, mirabilia quæ fecit, & pueros clamantes in templo, & dicentes; Hosanna filio David, indignati sunt, & dixerunt ei: Audis, quid isti dicunt? Iesus autem dixit eis: Vtique. Nunquam legistis: Quia ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem? *Matth. 21. v. 15. & 16.*

III. Et erat docens quotidie in templo. Principes autem sacerdotum, & Scribæ, & Principes plebis quærebant illum perdere: & non inveniebant, quid facerent illi. Omnis enim populus suspensus erat, audiens illum. *Luc. 19. v. 47. & 48.* Timebant eum, quoniam universa turba admirabatur super doctrina ejus. *Marc. 11. v. 18.*

IV. Et relictis illis, abiit foras extra civitatem in Bethaniam: ibique mansit. *Matth. 21.*

thai. 21. §. 17. Cùm jam vespera esset hora,
exijt in Bethaniam cum duodecim, *Marc.*
11. §. 11.

MEDITATIO LXXIX.

*Ficulnea maledictione Christi
exarescit.*

I. **M**ANÈ autem revertens in Civitatem,
Mesurijt: *Matth.* 21. §. 18. cùmque
vidisset à longè ficum (arborem unam se-
cus viam, *Matth.* 21. §. 19.) habentem folia,
venit, si quid fortè inveniret in ea: & cùm
venisset ad eam, nihil invenit præter folia:
non enim erat tempus ficorum, *Marc.* 11. §.
13. & ait illi: Nunquam ex te fructus na-
scatur in sempiternum, *Matth.* 21. §. 19.
Iam non amplius in æternum ex te fructum
quisquam manducet. Et audiebant discipuli
ejus, *Marc.* 11. §. 14.

II. Et arefacta est continuò ficulnea. Et
videntes discipuli, mirati sunt, dicentes:
Quomodo continuò aruit? *Matth.* 21. §.
19. § 20 Veniunt Hierosolymam, & cùm
vespera facta esset, egrediebatur de civitate,
Marc. 11. §. 15. § 19. Et cùm manè transi-
rent, viderunt ficum aridam factam à radi-
cibus, *Marc.* 11. §. 20.

III. Et